

Neque dicas, mentem S. Thomae esse, quod Spiritus Sanctus procedat ex amore omnis creature...

XV. Secundo obicitur Item S. Th. hac q. 19. art. 3. ubi universaliter dicit, Deum alia a se non necitatio velle...

XVI. Resp. S. Thomam ibi loqui de voluntate efficaci, qua diligit creaturas existentes...

XVII. Sed dices: Si Deus velle creaturas possibili amore necessario, aut talis amor esset necessarius...

XVIII. Respondetur, amorem, quo Deus amat creaturas possibili esse necessarium, tam quoad specificationem...

XIX. Quares an voluntas Divina veretur circa impossibilia? Respondetur. Cum D. Thoma 1. Contra Gentes c. 24. negat...

Secundo. Voluntas non est circa illud, quod non potest intelligi: quia quod non cadit in intellectu, non cadit in voluntate...

Tertio. Secundum quod res se habet ad esse, se habet ad bonitatem: sed impossibilia sunt, que non possunt esse...

DE DIVINA VOLUNTATE DIVISIONIBUS.

Quamvis voluntas divina realiter una sit: immo unio actus omnia velle, tamen ex rebus volitis multiplicem colligunt Theologi in Deo voluntatem.

I. Primo ergo dividitur voluntas divina in voluntatem signi, & beneplaciti. Secundo in voluntatem necessariam, & liberam. Tertio in absolutam, & conditionatam. Quarto in antecedentem, & consequentem. Quinto in efficacem, & inefficacem.

II. Voluntas beneplaciti est actus, quo Deus vere, & proprie vult aliquid, tamquam sibi placens, de qua Paulus Rom. 12. v. 2. ait: ut probetis, que sit voluntas Dei bona...

Matt. 6. v. 10. fac voluntas tua, sicut in Caelo, & in Terra, hac D. Th. hac q. 19. art. 11.

III. Quinque autem ex eodem ibi art. 12. sunt signa voluntatis divinae, nempe Preceptum; prohibitio, permissio, consilium, & operatio. Unde Versus.

Præcipis, ac prohibes, permittis, consulas, implet.

Quinque enim modis consuevimus significare, nos aliquid velle, aut nostram manifestare voluntatem. Aliquando enim eam declaramus per nos, aliquando per alios...

IV. Quod vero quinque sint signa ad dignoscendam voluntatem Dei, probatur. Tot enim sunt signa voluntatis Dei, quot sunt signa, quibus iudicamus, Deum aliquid velle...

Quædam ex hisce signis versantur circa mala, ut prohibitio, & permissio; quædam circa bona, ut operatio, & preceptum. Consilium vero circa perfectum, vel optimum.

Quodlibet ex his signis semper aliquomodo indicat voluntatem Dei, non tamen semper talem, qualem existimamus. Nam v. g. preceptum, quod Deus fecit signum, ut immolare filium suum, Abraham putabat esse signum, quod Deus velle filii sui mactationem...

V. Voluntas divina necessaria dicitur, que ita diligit, ut non possit non diligere; & hoc modo Deus diligit seipsum. Dicitur autem libera quatenus ita diligit, ut possit non diligere; & hoc modo diligit Deus creaturas existentes.

VI. Rursus divina voluntas dici potest necessaria, & quoad specificationem, & quoad exercitium. Primo modo, dicitur necessaria, quando licet possit cessare ab actu, tamen si velit illum habere, debet esse actus talis speciei, puta amoris, non odii...

VII. Dupliciter autem contingere potest hæc necessitas: uno modo absolute, alio modo solum ex suppositione. Tunc est necessitas absoluta, quando nulla facta suppositione voluntas est obligata ad actum; & hoc modo necessitatur Deus ad amandum seipsum. Tunc vero est necessitas solum ex suppositione, quando est voluntas absolute non obligatur, facta tamen aliqua suppositione obligatur ad actum...

VIII. De voluntate absoluta, & conditionata dictum est in Tractatu de Scientia Dei, loquendo de decretis absolutis, & conditionatis, præsertim q. 6. d. 2. §. 1. Modo breviter dico, voluntatem Dei dici absolutam, qua Deus vult aliquid absolute fieri: dici autem conditionatam, quando vult aliquid fieri solum posita conditione se tenente ex parte objecti...

IX. In admittenda celebri divisione divinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem, Theologi cujuscumque Scholæ Catholicæ conveniunt: in modo tamen explicandi, in quo consistat, voluntatem esse antecedentem, aut consequentem, dissentiunt.

X. Quæ enim scientiam mediam in Deo statuunt, volunt eam divisionem fientem ex vario respectu, quem habet divina voluntas ad humanam; unde voluntatem Dei dicunt esse antecedentem, quatenus intelligitur præcedere humanæ voluntatis consensum; esse vero consequentem, quatenus intelligitur eundem consensum supponere, eumque consequi...

De voluntate antecedente, & consequente.

IX. In admittenda celebri divisione divinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem, Theologi cujuscumque Scholæ Catholicæ conveniunt: in modo tamen explicandi, in quo consistat, voluntatem esse antecedentem, aut consequentem, dissentiunt.

X. Quæ enim scientiam mediam in Deo statuunt, volunt eam divisionem fientem ex vario respectu, quem habet divina voluntas ad humanam; unde voluntatem Dei dicunt esse antecedentem, quatenus intelligitur præcedere humanæ voluntatis consensum; esse vero consequentem, quatenus intelligitur eundem consensum supponere, eumque consequi...

XI. Quæ autem scientiam mediam a Deo ablegant, unanimi consensu docent, divisionem, de qua hic agitur, non potest ex respectu, quem Dei voluntas dicit ad non prævisum, aut prævisum creatæ voluntatis consensum, sed ex diverso statu, in quo res volita potest considerari. Potest autem considerari, vel secundum se, hoc est abstracto a circumstantiis, quibus ut in re posita existit. Si primo modo spectetur, est objectum voluntatis antecedens: Si vero secundo, est objectum voluntatis consequens. Ut ergo mentem nostram aperiamus...

XII. Dico primo, voluntas Dei non dicitur antecedens ex eo, quod antecedit prævisum consensum, quem creata voluntas est, vel non est præstitura gratiæ excitanti. Nec dicitur consequens ex eo, quod supponit prævisum, ac prævisum esse voluntatis consensum. Probatur. Omnis Dei voluntas antecedit humane voluntatis consensum, ergo male explicatur voluntas Dei antecedens, quod antecedit, & consequens quod subsequatur creatæ voluntatis consensum, antecedit, quoad voluntatem antecedentem, & ipsi Medii factentur. Quoad voluntatem vero consequentem probatur inferius, ubi ostendimus, voluntatem Dei esse de se efficacem, & prævenire ut causam, liberum consensum nostrum. Tum etiam, quia prædestinatio includit voluntatem consequentem dandi gloriam unde D. Th. in 1. ad Corinthios, dicit, 26. q. unic. art. 2. ad 1. prædestinatio (inquit) includit voluntatem salutis, non solum antecedentem, sed etiam consequentem. Sed prædestinatio, ut infra ostendemus, & non pauci ex Societate admittunt, antecedit prævisionem meritum, & illa inferi; ergo &c.

Et confirmatur. Nam voluntas, qua Deus vult, aliquos perseverare finaliter, antecedit nostrum consensum, cum non possit cadere sub merito; & tamen iustissimè voluntas est consequens, cum sit specialis prædestinatio: voluntas autem antecedens sit prædestinatio, & reprobis communis; ergo &c.

XIII. At dices, Damascenus lib. 2. de fide c. 29. indicare videtur, anteceditent Dei voluntatem esse illam, que non præsupponit operationem creaturæ, consequentem vero esse eam, quæ operationem creaturæ supponit: ait enim: antecedens est necessitas Dei in ipso existens, & consequens est concessio ex causa nostra. Quod idem docet D. Th. in 1. d. 46. q. 11. art. 1. dicens voluntas consequens præsupponit præsentiam operum.

XIV. Respondetur, dist. ant. voluntas consequens, que est actus iustitiae, præsupponit &c. conc. anteced. voluntas consequens, que est actus misericordiae, de qua hic agimus, nego ant. De prima ergo voluntate agunt Damascenus, & Thomas. Damascenus quidem, quia ante præmissit, docentes perire puniri (Deus) vult quia iustus est; & exponens quantum sit hæc causa nostra, ait: ad absolutam, ut diximus, panam pertinens. D. Thomas autem, quia ibi loquitur de nolente, & resistentem gratiæ divinæ, nolentem vero, & resistentem non esse bonum salvandi, quia iniustum est. Et merito, quia voluntas consequens iustitiam punitivam exercens, supponit culpam, & ex vitio nostro ortum ducit; iuxta illud Tertulliani, Deus de suo iustitior; de nostro iustus. Adde, D. Th. laudatum non velle, opera prævisa esse causam ut Deus voluntatem consequente aliquid velit, sed esse causam rei volitæ, idest ut res volita ponatur, subdit enim: non tamquam causam voluntatis, sed tamquam rationem volitæ.

XV. Dico secundo. Divisio voluntatis in anteced. & consequ. sumitur ex diverso statu, in quo objectum aliquid potest considerari: ita ut antecedens sit ea, que versatur circa objectum, ut est in specie sua seu ut abstractum, & præcisum ab omnibus circumstantiis particularibus, in quibus in individuo, & a parte rei reperitur: Consequens vero sit ea, que versatur circa objectum, non solum, ut in specie consideratum; sed in individuo, seu cum omnibus circumstantiis, quibus in individuo a parte rei existit. Unumquodque enim (ait D. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1.) secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum, quod tamen pro ut cum aliquo adjuncto consideratur, quod est consequens considerationi ejus, & contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum...

cundum absolutam considerationem: sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vitiosus in periculum multitudine: sic bonum est, cum occidit, & malum est cum vivit. Sic potest dici, quod Deus gustus vult homicidam suspendi. Similiter Deus anteceditur vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam sui iustitiae. Ex quibus D. Thomæ verbis patet, quam apte ad etymologiam nominis explicetur per nos hæc divisio. Voluntas enim dicitur antecedens, que versatur circa objectum in sui prima consideratione, qua consideratur secundum suam naturam, & speciem: dicitur autem consequens, que versatur circa objectum in sui secunda consideratione, qua scilicet consideratur in individuo, & ut velimum omnibus circumstantiis, & adjunctis.

XVI. Quod si divisionem hinc velimus applicatæ materiæ salutis hominum, eam exponere possumus cum eodem D. Th. in 1. d. 46. q. un. art. 1. Potest enim in unguoque homine considerari natura ejus, & alia circumstantia ipsius; ut quod est volens, & preparans se ad salutem suam, vel etiam repugnans, & contrarius agens. Si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est omnem hominem salvari, quia omnes convertuntur in naturam humanam. Et cum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult; & de hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult secundum naturam Damascenam. Et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promovenia in finem omnibus communiter propofita, tam naturalia, quam gratuita sicut potentia naturalis, & præcepta legi, & alia hujusmodi. Consideratur autem omnibus circumstantiis Persona, sic non invenitur de omnibus bonum esse, quod salvetur: bonum est enim, qui se preparat, & consensit; salvari per largientem gratiæ divinæ; nolentem vero & resistentem non est bonum salvari, quia iniustum est. Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc, quod sit volitum a Deo, & sic se habet ad hoc, quod sit bonum, ideo illum hominem sub istis conditionibus consideramus, non vult Deus salvari, sed tantum istum, qui est volens, & consentiens. Et hæc dicitur voluntas consequens: eo, quod præsupponat præsentiam operum, non tantum causam voluntatis, sed quasi rationem volitæ, ut supra dictum est.

XVII. Hinc communis Nostratum orta est doctrina, quod scilicet voluntas ante illa est, que preparat auxilia, & media sufficientia: illa vero consequens, que preparat efficaciam, quia post præcedit auxilia, & agere consequitur post. Unde bene illa voluntas est antecedens, que preparat auxilia sufficientia, quibus conferri possit, & illa est consequens, que preparat auxilia efficaciam, quibus conferri agere.

Utraque tamen voluntas, si consideratur respectu prædestinationum, antecedit prævisionem meritum: ex sola enim bonitate Dei prævisio ad omnia merita nascitur voluntas, nedum antecedens dans posse salvari, sed etiam consequens dans de facto, & efficaciter salvari, ut infra dicemus: quia merita licet sint quasi ratio conferendi rem volitam, nempe gloriam, non tamen sunt causa illam primo volendi. Si vero consideretur respectu reprobiorum, voluntas antecedens dicitur quidem ea, qua Deus præparat illis beneficia ad eorum salutem necessariam; Verum consequens dicitur, quatenus consequenter ad prævisionem peccatorum, que ab ipsis Deus vidit aditenda, vult eos ex iustitia damnare: talis pro ut supra dicebamus ex Damasceno, & D. Thom. prima voluntas, qua efficaciter eligit ad gloriam hos præ illis, est voluntas misericordiae: secunda damnans ad poenam est voluntas iustitiæ. Sed hoc satis fit in præfati attigisse, ad Tractatum enim prædestinationis pertinet.

QUESTIO II.

De voluntate Dei circa humanum salutem.

Speciale questionem de hac re instituitur sistori calamo pertractandam, quia hinc temporibus non sine contentione agitur Catholicos inter & Janenim sectatores. Quin immo (referente Gomaio in epist. ad Galat. cap. 1.) divisio tenet a Calvinistis Lutheranos.

DEBIVM I.

An detur in Deo voluntas antecedens salvandi omnes.

Resolutio dubii.

I. Dico. In Deo datur voluntas antecedens salvandi omnes. Probatur, tum ex illo Ezech. 33. v. 11. Vix ego, dicit Dominus Deus; nolo mortem impij, sed ne convertatur impius a via sua, & vivat, &c. Petri 3. v. 9. Nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti; Tum 1. ad Tim. 2. v. 4. Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

II. Si respondeas cum Janenio primo, Deum habuisse quidem talem voluntatem pro omnibus in statu nature innocentiæ, non tamen in statu nature lapsæ, post Adæ culpam, & originalis peccati prævisionem;

III. Contra est primo. Nam Apostolus ex modo loquendi loquitur de hominibus, qui modo sunt, pro quibus ibi vult fieri obsecrationes, & orationes apud Deum & reddens rationem, ait v. 1. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Sal-

post profectus quinque Jansenii Propositiones liceat in doctrina de Gratia esse Catholicum, nec tamen Molinistam: Doctrina enim de duplici gratia, sufficienti, & per se efficaci, quam universi D. Thomae Schola profiterentur, media est, nimirum, nec Janseniana, nec Moliniana. Hanc, post Jansenii damnationem, a Sede Apostolica adhuc probari testis est Roma, sub cuius oculis publice defenditur: testes libri postea editi, quique in dies eduntur (inter quos *Enapolis* de divina gratia Thomae de Lemos) in quibus doctrina de Gratia per se efficaci, & Prædestinatione gratuita Romanis Pontificibus non obstititibus, immo probantibus statuitur, defenditur, & Molinistarum momenta pro viribus excutuntur. Adeo ut oppositum impetantes, tamquam calumniatores tradiderit Benedictus XIII. in suis Litteris Romæ datis 6. Novemb. 1724. Et in novissima sua Constitutione *Præfatus* Privilegium Ordinis Prædicatorum confirmatoria §. 41. data 26. Maji 1727. quibus D. Thomae discipulos ad eam tendendam, & propagandam accendit.

VI. Viderunt, & adhuc vident, se hoc asylo parum, immo nihil tutos esse Jansenii. Quare relicta questione Juris, ad questionem (ut ajunt) facti confugerunt. Dixerunt, & adhuc dicunt, quinque Propositionum damnationis se lubentes adherere, & subscribere, sed videntium, an ille fideliter ex Jansenii libro excerptæ fuerint, & in eo reperiantur. Quod ipsi negantur pertinenter afferentes, in toto Jansenii libro, nullam ex damnatis Propositionibus, saltem in eo sensu quo damnatae sunt extare, & propterea hæresim Jansenianam chimericam esse, & imaginariam. Ex hoc intulere, in hac questione facti non esse opus iudice, sed sanis oculis. Hoc ultimum Janseniorum effugium præclat Alexander VII. *Constitutio* quam edidit anno 1666. qua declarat, præfatas Propositiones ex libro Jansenii fideliter excerptas, & in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse. Quod & nos inferius præstabitur, loca, in quibus Jansenius eas profert, indicando. Vigentibus adhuc Jansenistarum moribus in Gallis, petente Rege Christianissimo, idem Alexander anno 1664. 15. Kal. Martii Formularium præscripsit, cui omnes Ecclesiasticæ Personæ, etiam Moniales, subscribere, ac iuramento dictas Propositiones in sensu a Jansenio intento, & a Sede Apostolica damnato, damnare, tenerentur. Eruffra iterum audiri postulant. Formulæ subscribere, Regia auctoritate urgente, coacti sunt Janseniani. Sed nova fraude vim juramenti eludere conati sunt. Statuerunt itaque, se Formulæ Alexandri VII. subscribere, sed continendo se circa questionem facti intra limites extreme dumtaxat obedientiæ, & religiosi silentii, licet animo contradicerent, & penes se pro comperto haberent, eas Propositiones nec in libro Jansenii extare, nec in sensu Jansenii damnatas esse.

Fraudem hanc detexit Clemens XI. & damnavit. Quare Constit. data anno 1705. deservit, ad sinceram Formulæ subscriptionem requiri non solum externam, sed internam obedientiam, ac simplicem mentis, & cordis adhesionem; & oppositum nil aliud esse, quam meram simulationem, illusionem, hypocritism, mendaciam contra Spiritum Sanctum sacrilego perjurio confirmatam &c. quibus omnibus cuique subdola interpretationi, & ancipiti significationi via penitus clausa est, nec cuiquam absque fidei dispendio reclamandi locus relinquatur.

§. II.

Jansenius quinque Propositionum damnatarum vera Auctor.

VII. Superest primo præfatas quinque Propositiones referre, & eas vere in Jansenii libro esse demonstrare. Secundum ad doctrinam Thomistarum procul distare, quod, Jansenii doctrinam cum Thomistica conferendo præstabitur.

Primo ergo Propositio Janseniana damnata, est: *Aliqua Dei præcepta hominibus sunt voluntaria, & conati sunt, secundum præfatos, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* Hanc declarat Innocentius Romanus, impium, blasphemum, anathematizatum, & hæreticum, & ut talem damnavit.

VIII. Hanc expresse docet Jansenius lib. 3. de gratia Christi c. 13. his verbis: *Hæc igitur omnia plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, esse præcepta quædam, qua hominibus, non tantum infidelibus, excecatis, induratis, sed fidelibus quoque, & iustis, voluntibus, & conantibus, secundum præfatos, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, qua possibilia fiunt.*

IX. Secunda Propositio est: *Interior gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quam hæreticam declaravit, & ut talem damnavit Innocentius.

X. Hanc diserte docet Jansenius l. 2. de Gratia Christi c. 25. ubi ait: *hæc est vera ratio, & ratio, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia effectus suo careat, sed omnis efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Cumque eodem lib. 3. cap. 27. Non aliam medicinalem Christi gratiam agnoscat, nisi suapte natura efficacem, sequitur, eum docere, quod in statu naturæ lapsæ gratia interiori nunquam resistitur.

XI. Tertia Propositio est: *Ad morendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed iustis libertas a coactione.* Quam pariter hæreticam declaravit, & ut talem damnavit Innocentius.

XII. Hanc evidenter docet Jansenius lib. 6. de Gratia Christi cap. 6. cui hunc titulum præfigit: *Duplex necessitas Au-*

gustino, coactionis, & simplex, seu voluntaria: illa, non hæc repugnat libertati. Et in eo capite totus est in ostendendo violentiam, & coactionem, qua renitens, & nolens quis agit, capitaliter repugnat libertati, non autem illam necessitatem, qua est simul voluntaria, qua scilicet necesse est, aliquid fieri, non repugnat, sed immutabiliter volente voluntate. Prævidens autem, hæc visum fuit novum in Scholis Catholicis, subdit: *mirra videbitur Scholasticis ista doctrina; & tamen in Augustini principiis (prave ab ipso intellectis) est indubitata.* Sed nova non apparuit hæc doctrina Theologis Catholicis: eam enim audierant non ab Augustino, sed a Calvino, qui lib. 2. Inst. c. 2. §. 7. ait: *liberi ergo arbitrii hoc modo dicitur homo, non quia liberam habeat boni equæ, ac mali electionem, sed quia mala voluntate agit, non coactione.*

XIII. Quarta Propositio est: *Sempelagianum admittere gratia interiori necessitate ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod volente, eam gratiam taliter esse, cui possit voluntas humana resistere, vel obtemperare. Hanc falsam, & hæreticam declarat Innocentius, & ut talem damnat.*

XIV. Eam tamen conceptis terminis auferunt Jansenius tum lib. 2. de Gratia Christi c. 12. ubi & statuit, Sempelagianum ad initium fidei, interne, æternæque gratia adiutorium futurum se necessarium; & rursus, qui putabant cum tali adiutorio posse credere, & tanquam gratia medicinali deservire, & liberi arbitrii præsumptores merito confusa servitate damnati sunt. Quod repetit lib. 3. c. 1. ubi rejiciens auxilium sufficientem, & nullum dari post lapsum auxilium, quod non sit efficax, ostendens, rationem (que est tertia) reddidit: *quia auxilium sufficientem esse, arguit ita sufficere statuebant, ut cum eo credere posses homo, si velles: qui tamen tanquam hæretici præscripsi sunt, non aliam sane ob causam, nisi quia sola auxilium homini sufficere putarent.*

XV. Quinta tandem Propositio: *Sempelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fuisse.* Quam falsam, eterenariam, scandalosam, & intellectum eo sensu: *ut Christus pro salute damnatas Prædestinationum mortuus sit, impium, blasphemum, conumeliosum, divina pietate derogatum, & hæreticam declarat, & damnat Innocentius.*

XVI. Hanc a Jansenio prolata offendit ad oculum lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. ubi esto non negat Passionem, & Mortem Christi fuisse pretium sufficientem ad Redemptionem omnium omnino Individuorum, immo etiam Dæmonum, omniumque damnatorum, negat tamen Christum fuisse redemptionem deesse, vel propitiatorem esse pro omnibus, quia hoc plus aliquid dicit: *Indicat enim intentionem meritis pretium pro illis obtinuum esse.* Concludens, Christum pro solis Prædestinatis, quos ejus fuit, se tradidisse, & pro illis a peccato liberatis, & in æternum vivificandis mortuum esse, & Patrem rogasse: *non pro cæteris, qui a fide, & charitate deficientes in iniquitate morantur.* Pro his enim in tantum mortuus est, & in tantum propitiatus peccatorum est, & in tantum rogatus Patrem, in quantum temporibus quibusdam divinis gratia efficiuntur exornandi sunt. Hæc Jansenius. Quam doctrinam nullis confirmare conatur. Cum ergo hæc adeo clara sint, quid aliud de Jansenio dicere possumus, nisi quod in duplicem cæcitate lapsi sint. Unam, qua videre se autunt falsam imaginationem in libro Jansenii ea, que in eo non fuit, nempe Doctrinam Sancti Augustini, que profecto in eo libro non est. Alteram, qua se non vidisse, & adhuc non videre contendunt ea, que in illo revera sunt; quinque nimirum damnatas Propositiones, quas in eo Summi Pontifices, omnesque Doctores, præter illos, viderunt, & in eo vere adesse ad oculum eis demonstravi.

§. III.

Thomista Jansenio, & Jansenisti in materia Gratia, & Liberi Arbitrii contrarii.

XVII. MODO repellenda est calumnia, qua Jansenista, & Jansenii, Thomistarum doctrinam de gratia per se efficaci, eandem esse cum doctrina Jansenii, & Jansenistarum; & proinde hæc damnata, damnatum quoque fuisse Thomisticam doctrinam. Licet autem ad hanc rubram dispendium satis sint testimonia Romanorum Pontificum, que superius §. 1. indicata sunt, & inter ista nuperima Benedicti XIII. ad hanc depellendam calumniam specialiter data. Licet etiam hæc matricula D. Thomæ discipulos liberaverit præclari Societ. Jesu Scriptores Jo. Marius de Ripalda lib. 2. operis advers. errores Michaelis Bægi disp. 14. sect. 5. Franciscus Annatus (licet Junior alter sententiæ) Senior factus in libro, Janseniana causa pendente, Rome edito, cui titulum dedit Jansenius a Thomistis gratia per se ipsam efficiat deservire, condemnatus circa quinque Propositiones, & in Informationem, quam idem Annatus super hoc exhibuit, in qua duodeviginti inter Jansenianam, & Thomisticam doctrinam discrimina Lectorum oculis subjecit, *Retrus Deshamptis*, qui lib. 2. de hæresi Janseniana disp. 4. c. 3. & disp. 6. c. 9. sic Jansenianos perstringit: *Gloriantur licet Janseniani, se se nuperi dogmatis Patronos habere, que physica prædeterminationis deservire existunt, & vere tamen mihi videtur dicitur, nullis hinc doctrina infensiores reperiri, quam qui post vitam Calvini hæresim ex S. Dominici Ordine, alique ejusdem Sacramenti Theologis majori eruditione, & ingenii laude floruerunt. Hæc alioque fati essent ad depellendam tenet.*

tenebras, quibus Thomistarum hac in parte doctrinam obcurare contendunt Jansenistæ.

XVIII. Nihilominus, ut Candido nostro veritatem hæc, quæ digno demeritis, conferre placeat sigillatim ea, que Jansenius, & Jansenistæ docent cum his que Thomistæ in suis Scholis, & voce, & scriptis tradunt, ac typis evulgant.

Primo, ergo discriminantur in statuenda gratia pro Angelo, & hominis innocentem statu. Nam Jansenius, & Jansenistæ dicunt, ut supra ostendimus, Angelos, & hominem innocentem nulla equis gratia ex natura sua efficiat ad perseverandum, sine adiutorio quo; sed gratiam Angelis, & Adamo innocenti collatam, fuisse dumtaxat sufficientem, versatilem, e nutu liberi arbitrii pendentem, ut ea vel bene, vel male uteretur, si vellet, quam vocant adiutorium sine quo. Ex quo inferunt, Prædestinationem bonorum Angelorum ad gloriam, a Deo fidam post prævisionem meritum, isdoque per scientiam mediam; & Deum fidam naturæ innocentis, & Angelorum consuliisse pro statu voluntatem antecedentem, qua præparabat, & concedebat gratias sufficientes ad consequendam æternam salutem, accedente solo liberi arbitrii consensu. Et hoc ideo, quia gratia per se efficaci necessitatem non alunde repetit, nisi ex infirmitate naturæ humanæ læsæ ac sanctiæ per peccatum.

XIX. Thomistæ vero concorditer afferunt, Angelos, & hominem innocentem equis utraque gratia, & sufficiente, ut possent perseverare, seu adiutorio sine quo; & per se efficaci, seu adiutorio quo, ut de facto perseverarent. Et propterea Angelos, qui perseverarunt, præter gratiam sufficientem, habuisse ulterius gratiam per se efficacem, seu qua perseverarent, qua Angeli mali, & Adamus carerent. Unde Thomistæ duplicis gratie necessitatem pro eo statu admittunt, nimirum sufficientis ad posse, & per se efficaci ad actu perseverandum: Jansenistæ unam tantum volunt, nempe sufficientem, que ex bono actu liberi arbitrii fieret efficax. Hinc Thomistæ Angelorum prædeterminationem omnino gratuitam, & antecedentem, prævisionem meritum fatuunt, ortam ex voluntate consentanea; & efficiat eos salvandi, non mere antecedente. Et hoc ideo, quia necessitatem gratiæ per se efficaci non repetit unice ex infirmitate naturæ vitiatæ, sed etiam ex generali subordinatione causæ creatæ ad primam, scilicet Deum, & ex indifferentia, seu flexibilitate voluntatis ad operandum, que rationes, esto non primas, militent, & in Angelis, & in homine innocente.

XX. Secundo. Non minus discriminantur Thomistæ a Jansenistis, immo magis, in statuenda gratia pro statu naturæ lapsæ. Primo, quia Jansenistæ nullas in hoc statu agnoscunt gratias sufficientes, sed solum admittunt gratias per se efficaces.

XXI. Thomistæ vero admittunt gratias sufficientes, non quidem completentes omnia necessaria nedum ad posse, sed ad actu agere, ut volunt Molinæ discipuli: sed sufficientes in sensu Thomistico, nimirum, que complent, ac perficiunt actum primum, seu potentiam ad bene operandum. Præter hæc tamen ad actu de facto operandum, alia ex parte Dei requiruntur, que sint per se efficaces, nedum ex generali subordinatione causæ creatæ ad Deum, & voluntatis indifferentiæ, sed ad sanandum infirmitatem in carne, ut superius dictum est. Et hoc Thomistis est adiutorium quo medicinali, seu gratia Salvatoris.

XXII. Præterea Jansenius, & Jansenistæ gratiam per se efficacem, quam, omni gratia sufficiente pro statu naturæ lapsæ, in homine lapsæ, non solum volumus dominari voluntati, sed eam dicunt esse ineluctabilem, que licet non cogat, necessitatem tamen voluntatem, libertatem ejus absorbeat, ut cum agit, esto voluntarie agit, necessario tamen agat, quæ voluntatem hominis dicit, gaudere quidem libertate a coactione, sed non libertate indifferentiæ, seu a necessitate.

XXIII. Thomistæ e contra gratiam quidem per se efficacem ultra sufficientem admittunt; afferunt tamen, Deum gratie multiformis Auctorem, ita ad naturam voluntatis eam temperare, ut intactam relinquit ejus libertatem, nedum a coactione, sed & a necessitate, indifferentiam potestatis non lædat, & sic eam velle faciat, ut potentiam ad non volendum, seu ad volendum contrarium relinquat: quare libertatem indifferentiæ tuerentur.

XXIV. Uterius Jansenius, & Jansenistæ negant, Deum habere voluntatem antecedentem salvandi omnes homines pro statu naturæ lapsæ, eisque preparandi auxilia sufficientia ad æternam salutem consequendam: voluntatem enim antecedentem, qua Deus præparat, & incoedit media, seu auxilia sufficientia ad salutem, ad statum innocentie solummodo pertinent dicit Jansenius, nec in statu naturæ corruptæ ullum habere locum; ut si adhuc in hoc statu admittatur, dicit quod hæc Antecedens voluntas in sola prævisione meritis, adeoque nulla voluntate, nihil gratia causante, consistere potest. Ita passim inculcat Jansenius Sed præferim l. 3. de gratia Christi Salvatoris lib. 3. c. 20. ubi illud Pauli exponit: *Deus omnes homines vult salvos fieri.*

XXV. Hæc doctrina Jansenii supposita, & præcipue, quod in statu naturæ lapsæ nulla datur gratia mere sufficientes, sed omnes sint per se efficaces, Sole clarior apparet, quam legitime, ex Janseniana doctrina, quinque damnate Propositiones inferantur; & ex adverso, nisi quis in meridiana luce cæcæ se facere velit, quam injuste Thomistice doctrinæ a Jansenistis adaptetur. Si enim homini lapsæ Thomistice doctrinæ dans posse, legitime inferuntur prima Propositio, nempe quod aliqua Dei præcepta sint ei impossibilia secundum præfatos, que habet vires: & cum gratia per se efficaci, nec omnibus

deur, nec semper adsit, sequitur, quod desit illi gratia, qua possibilia fiunt. Quod in Thomistica doctrina afferente omnibus adesse auxilia danda posse, non sequitur.

Item: cum omnis gratia interior Janseniana sit per se efficax, cui certe resisti non potest, alias non esset per se efficax, bene inferuntur secunda Propositio, interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Hoc tamen in doctrina Thomistica admittente præter gratiam per se efficacem, etiam sufficientem, cui sepe resistitur, inferri non potest.

Præterea: cum a natura lapsæ libertatem indifferentiæ abulerit Jansenius, & solum libertatem a coactione statuat, ac voluntatem per gratiam per se efficacem necessitari ad agendum dicat, esto non cogi, bene sequitur tertia Propositio, quod ad morendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas a necessitate, sed iustis libertas a coactione: quod tamen in doctrina Thomistica, que cum gratia per se efficaci, beneficio gratiæ sufficientis, conciliat libertatem indifferentiæ ad utrumque extremum, non sequitur. Uterius, quia Jansenius admittit solum gratiam per se efficacem, cui resisti non potest, legitime inferuntur quarta Propositio, quæ dicebat Sempelagianos hæreticos fuisse, quia vellet gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare. Hoc tamen ex Thomistica doctrina gratiam sufficientem, cui resisti, vel obtemperari potest, admittente, plane non sequitur.

Tandem: ex eodem falso principio, quo ablata ab homine lapsæ omni gratia sufficienti, ei solum per se efficacem indulget, & hanc Christus Individuis, obsecratis, immo nec reprobis finaliter concedat, coherentem quinque Propositionem asseruit, nimirum, Christum pro omnibus omnino hominibus esse mortuum, aut Sanguinem fuisse, sed prædeterminationis damnatas. Hoc certe dicere averfatur Thomistæ, qui omnibus, nullo excepto, ex Christi Passione parata esse media ad salutem sufficientia afferunt. Hæc bene perpendat studiosus Thomistæ, quibus calumnias, & calumniatoribus ora possit obstruere, cum tantum a Jansenistis differant Thomistæ, quantum a tenebris lux.

§. IV.

Christus pro omnibus Sanguinem fudit.

XXVI. IDEO, dicere, quod Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, & Sanguinem fuderit ex voluntate antecedente salvandi omnes, Sempelagianum non est, sed Catholicum. Probo. Id, quod docet Scriptura, & ex ea SS. Patres communi consensu interpretantur, Sempelagianum error non est, sed doctrina Catholica: atqui quod Christus mortuus sit ex animo, & voluntate salvandi omnes, Scriptura docet, & Patres consensu communi testantur; & Gregorius Min. pro anima parte probatur l. ex Apostolo *Dubis præclari*, laudato l. ad Tim. 2. v. 1. &c. ubi Apostolus rogat, si fieri obsecrationes, & orationes pro omnibus hominibus, & rationem reddens, ait: *hoc enim bonum est, & necessarium est, ut omnes homines vult salvos fieri, Delin-de ostendens, quomodo sit Salvator omnium addit: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus: sed unus est Deus omnium, nedum loquendo de generibus singulorum, sed etiam de singulis generum; est enim unus Deus omnium, nullo excepto; unus ergo est etiam Mediator omnium, & singulorum, qui dedit semetipsum Redemptionem pro omnibus & singulis, nullo excepto: ergo tam Deus, quam mediator Dei & hominum Christus, vult, omnes, & singulos salvos fieri, nullo excepto: eos enim vult salvos fieri, pro quibus dedit semetipsum Redemptionem. Immo ex hoc, quod executione, ut dederit semetipsum Redemptionem pro omnibus, non pro aliquibus damnatas.**

Hinc super præfata verba Cajetanus noster egregie: *Si ef-fusus inquit, plures Dei, cogitari possent, quod unus Deus haberet curam salvandi aliquos homines; & alius haberet curam salvandi alios: sed ubi unus sanctorum est Deus, ubi unus incumbit cura omnium. Et de Mediatore idem subdens, ait: Si plures essent Mediatores inter Deum, & hominem, existimaretur, quod unus esset Mediator pro quibusdam, & alius pro aliis: sed ex quo unus est mediator Dei & hominum, ad reconciliandum homines Deo, illi nui incumbit mediare inter Deum, & omnes homines.*

XXVII. Hoc idem Apostolus indicovit 2. Corinth. cap. 5. v. 14. & 16. dicens, *charitas enim Christi urget nos, estimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sumus: Et pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro istis mortuus est, & resurrexit.* Quibus S. Paulus duo dicit, unum, & ex charitate teneri pro omnibus laborare, & vitam ipsam prodigere exemplo Christi, qui pro omnibus mortuus est, sed D. Paulus pro omnibus, & singulis, nedum pro electis, pro omnium salute procuranda, charitate Christi urgebatur; ergo hoc ideo quia sciebat, pro omnibus, & singulis Christum mortuum esse voluntate, & affectu. Hinc S. Chrysostomus hom. 21. in hoc caput: *Constringit, inquit, nec charitas Dei, & non solum, nos quiescere. Extrema enim miseria est, & ipsa gehenna vivum, si tanta re offensa, inveniantur quidam, post tantam illius providentiam nullum fructum afferere: summa enim charitatis excellentia est mori pro tali mundo, & mori pro se affectu.*

Alterum, quod D. Paulus dicit, est, quod si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: super que verba D. Augu-

